

*<curatores>que frumenti qua parte anni publico fungantur ministerio <ea e>t curatores aquarum iudiciis vacent privatis publicisque.* sed ita quoque Frontinum concepta verba male mutilavisse putandum esse dicit, cum in ipso senatus consulto sine dubio verba *iudiciis vacent privatis publicisque* bis posita fuerint, et eo quo legantur loco et post *ministeria*. quodsi rectum vidit Hirschfeldius, manifestum est non Frontini licentia sed librarii alicuius errore ea verba omissa esse. videamus aliud exemplum.

p. 48, 23 legimus: *ad tutelam ductuum sicut promiseram divertemus, rem enixiore cura dignam, cum magnitudinis Romani imperii vel praecipuum sit indicium. multa atque ampla opera subinde nascuntur* etc. sed tutelam ductuum Frontinum praecipuum magnitudinis Romani imperii indicium duxisse et dixisse equidem non crediderim. scribendum igitur *sint* (scil. ductus)? facilis quidem levisque emendatio; nihilominus intolerabile asyndeton relinquitur, quod plurium verborum supplementum postulare videtur, similiaque satis multa invenies. transpositionis autem luculenta exempla ostenderunt Buechelerus (p. 38, 20; cf. etiam p. 18, 10) et Gundermannus (p. 53, 18). alia in dubio relinquuntur, velut rectene scribatur p. 38, 11 *dum altius repeto leges de singulis aquis latas an leges singulas de aquis latas* diiudicare non ausim, sed Dederichii emendationem scribentis p. 50, 8 *non minus autem quam sol acrior gelatio praecipit materiam pro sol acrior quam gelatio* cur spreverit Buechelerus non video. denique si conspicere velis locum multiplici ratione emendandum, revolvas

p. 54, 14 ubi in cod. C scriptum videmus: *quo minus in eo loco pascere herbam fenum secare. sentes Cura- tores aquarum qui nunc sunt; //circa fontes// quique erunt; et fortunī et muroꝝ. et riuos et specus terminatus est arbores . . . tollantur.* indicavit librarius lacunam maiorem post *sentes*, minorem post *fortunī*, indicavit porro transpositionem, latet alia lacuna non significata post *erunt*, corrupta sunt verba *fortunī* et *muroꝝ*, restituiturque totus locus secundum Poleni Mommseni Buecheleri emendationes sic: *quo minus*